

SPECIMEN ACADEMICUM
DE
OPTIMA HISTORIAM UNIVERSALEM, PRÆ-
SERTIM ANTIQUAM, PROPONENDI
METHODO.

Quod

CONS. AMPL. FAC. PHIL. REG. ACAD. AB.
PRÆSIDE

Mag. FRANC. MICH. FRANZÉN,
Mor. & Hist. Prof. Reg. & Ord.

Pro Gradu Philosophico

Publico subjicit censuræ

JONAS LINDSTRÖM,
Stip. Bilm. Angermannus.

In Schola Cathedr. die 19 Junii 1806.

H. a. m. f.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.



§. I.

Immensum percursuro universæ historiæ orbem, *methoda* sibi esse opus, cum rerum, tum locorum ac temporum rationibus definita, ne labyrintheo perturbetur errore, quisque primo videbit ingressū. Hanc vero vel discendo vel docendo apertissimam eligere haud facile esse sentiet. Videntur nempe diffracta ac dispersa, quibus historia generis humani continetur, facta, lapidum instar in opere inservio, innumeris modis pro consilio, ne dicam arbitrio, cujusque artificis, connecti & conformari posse. Tot igitur fere invenies narrandi generis discrimina, quot historiarum consulueris scriptores. Neglecta autem differentia, quam aut rei narratæ, aut consilii, aut ingenii ac orationis diversitas gignit, solius ordinis, quo res, per orbem terrarum gestæ, in unam colliguntur historiam, ratio & puerorum juvenumque, qui elementa historiæ discent, haud parvi interest, & omnium, qui generalem illius animo suo præsentem sibi exoptant conspectum; cuius maximum esse usum non ad reminiscendum solum, sed ad intelligendum etiam progressum universi generis humani, quis dubitaverit (a)? Diversa igitur illius genera

A

part-

a) Die Zusammenstellung der Weltbegebenheiten, und der allgemeine Blick, der alles auf einmal fasst, wird von jeder einzelnen Begebenheit eine weit richtigere, lebhaftere und vollständigere Vorstellung bewirken, als wenn man sie insularisch und aus

paucis observare, & quod optimum nobis videatur, modeste indicare his voluimus pagellis: non ut alios doceremus, sed, ut quid ipsi didicerimus, juvenilis speciminis causa ostenderemus.

§. II.

Tres præcipue vulgo solent distingui historiæ universaliæ methodi (*b*). Prima est *chronographica*, quæ annorum sequens rationem, quid quoque tempore in diversis terræ partibus memorandum evenerit, sparsim refert. Hujus generis insigne dedit exemplum in libro clarissimo *Discours sur l'histoire universelle* illustrissimus BOSSUET. Nuperrime quoque hoc ceteris prætulit generibus cel. HEGEWISCH (*c*). Altera, quam *ethnographicam* appellant, gentes diversas in orbe terrarum agentes singulatim exhibet. Hac usi sunt methodo MILLOT in *historia antiqua*, SCHRÖCKH in majori suo *historiæ universalis compendio* (*d*), nosterque EBERHARDT, ut ceteros, ab HERODOTO usque ad recentissime inter Germanos laudatae

dem System herausgerissen denkt. SCHLÖZER *Ideal der Weltgeschichte* §. 15. 4.

- b)* Alii quidem aliter dispescunt. SCHLÖZER v. c. I. c. §§. 23 & 33. primum *synchronisticam* methodum a *synthetica* distingvit: hanc vero dividit in *chronographicam*, *technographicam*, *geographicam* & *ethnographicam*. Sed *technographicæ* ratio, quam c. c. GOUZET (*de l' origine des loix, des arts & des sciences & de leurs progrès chez les anciens peuples*) sectus est, non tam methodum definit, quam ipsius *historiæ* speciem. *Geographicæ* autem vel ab *ethnographicæ* non differt, vel *geographicæ* *historiæ* potius, quam *historiæ* proprie dictæ, convenire videtur.
- c)* In libro: *Grundzüge der Weltgeschichte*. Hamburg 1804: quo synopsin desideratissimi BÜSCH *Grundriss der Welthandels* supplevit.
- d)* Allg. *Weltgeschichte für Kinder*: cuius, a Heynac factam, epitomen fætice translatam habemus,

datum BREYER (*e*), taceamus. Tertia, quæ *Synchronistica* dicitur, certa definiens temporum intervalla, parallelam in uno quoque refert singularium gentium historiam. Hanc plurimi adhibuerunt, qui recentiori ævo compendia historiæ universalis confecere: inter quos præcipuam obtinuere laudem SCHLÖZER, GATTERER, OFFERHAUS, SCHRÖCKH (*f*), BECK, REMER, HÜBLER, BECKER & qui ceteri sunt.

§. III.

Nulla est harum methodorum, quæ non suis & laudibus fese commendet & incommodis laboret. Methodi *Chronographicæ* sive *annalisticæ* hæc est virtus, quod res eodem, quo gestæ sunt, ordine narrans, naturalem servat chronologiam, ejusque tam diligentem quam facilem præstat notitiam: accusatur autem haud immerito, quod & animum in plura simul longeque diversa loca & facta distrahendo, intellectum confundat, nec nisi fragmenta spargat variarum historiarum, vix ulla cohærentia vel factorum serie vel causarum ratione (*g*). *Ethnographicæ* autem hoc quidem caret vitio, cum

A 2

cu-

e) Grundriss der Universalgeschichte, Jena 1802.

f) In minori suo compendio, quod Cel. Stridsberg svecice trans-tulit.

g) Videas e. c. initium periodi VII. apud BOSSUET I. c. ubi, cum de origine Romæ, mox de interitu antiquioris imperii Assyrici, ortuque novi, atque fine reipublicæ Israeliticæ actum est, iterum Romam petit narrator, mortem Romuli & regnum Numæ commemoratrices; quo facto, Palæstinam redit, narrata autem clade Sanheribi ad Hierosolymam, Archontum annuorum Athenis institutorum mentionem facit; unde in Asyriam & Medium reversus, antequam in Ægyptum transibit, in Latia pugnam spectat Horitorum & Curiatorum, & sic porro: quæ quidem omnia scite & ele-ganter non minus, quam rapide ac vivide, a magno sunt ingerio, qua tamen ratione non tam pragmatica efficitur historia, quam chro-nologica synopsis, quam etiam ille præcipue intendit.

eujsusque gentis totam describat imaginem; sed præter quam quod unius populi res sœpisime intelligi nequeant, nisi cognita simul alterius historia, non tam universalem hæc methodus efficit historiam, quam collectionem specialium, collatas tantum, non in unam univerſi generis humani tabulam compositas, diversarum gentium & civitatum imagines exhibentem (h).

Synchronistica igitur plurimi maxime placuit, utpote quæ, & temporum & locorum sive gentium sequens rationem, utriusque ceterarum methodorum amplectatur laudes. Sed incommoda quoque utriusque conjungit. Nam ex una parte epochas diligenter observatura, ethnographicam abrum pere cogitur narrationem, unamque sœpe & integrum imaginem in monstroſa disſolvere fragmenta, tabulæ instar, quæ in partes, certis adaptatandas eripidinibus (*ramar*), absurdè dissecetur. Ex altera autem parte eujsusque gentis in quaque periodo conditionem seorsim consideratura, & universalem nexum in speciali descriptione perdere, & easdem res, pluribus gentibus communes, diversis repetere locis, necessarium facit (i).

§. IV.

(h) Num *MILLOR* v. c. qui primum Ægyptios, deinde Sineres, tunc Asyrios & Babylonios, mox Phœnicios, postea Hebræos, porro Medos & Persas, postremo Iudæos, Scythas & Celtas in scenam provocat, aut *BREYER*, qui præmissa historia non antiquissima tantum civitatis Babelicæ, sed etiam multo recentioris atque a nova gente Chaldaeorum fundatae monarchiae Babylonice, prius Asyriorum, Medorum & Phœniciorum exhaustit historiam, quam ad Ægyptios & Hebræos progredivatur; num illi, inquam, hac methodo veram, unam, integrum & aptam nobis præstant ideam vel ævi antiquissimi, vel orbis orientalis, vel viæ & rationis, qua prima generis humani cultura exstitit & processit?

(i) Vide tertiam c. c. & quartam periodum ante Christ. natum in minori *Cel. Schrœckh* compendio, in quo, ceterum magna, quam obtin-



§. IV.

Sed præter has methodos, quæ exterris factorum formis, tempore scilicet & loco, sive, quod idem est, populo, magis quam ipsis factis eorumque rationibus definitæ sunt, alia adhuc ex ipsa idea & fine historiæ universalis sponte se fe offerre nobis videtur, quæ ad tertiam quidem illarum proxime accedit, sed synchronismum tamen ita tantum curat, si ex naturali rerum, quæ evenerunt, nexus exoriens, hunc non rumpit. De qua igitur ex consilio opusculi paullo uberior, quantum arctiores limites ejus permittant, jam disseremus. Primum scilicet historiæ universalis ideam, deinde autem ex ea oriundam methodum definituri.

§. V.

Historia, quæ universalis proprie appelletur, distinguienda est ab historiis universarum gentium: quæ si vel in unum colligantur opus, quale v. e. a GUTHRIE & GRAY in Anglia incepit, in Germania deinde continuatum est, non tamen sunt nisi speciales, nec unum quoddam & totum continent. Universalis nomen obtinet illa, quam hic intelligimus, non quia omnium gentium res enarrat, quas ne cognoscere quidem potest, nec, si poscit, curat, sed quia totius generis humani ex antiquissimo, quod novimus, tempore hunc usque ad diem progresum persequitur, h. e. tales refert civitatum, religionum, morum, commerciorum, scientiarum & artium mutationes, quæ si vel initio ad quosdam tantum nec valde magnos pertinuerint populos, postea tamen ad plurimos vel præcipios saltim sese extenderunt, unamque gentem cum altera, unum saeculum cum altero conjunxerunt, atque in ipsum genus mortalium, non tam in multitudine, quam in di-

nuit, laude haud indigno, omnia haec vitia antique in primis historiæ conspectum turbant & confundunt.

diversitate populorum spectandum, effectum habuerunt, ad nostra usque tempora permanentem. Ita vero illas describit & refert, ut & causæ effectusque ejusque facti, & nexus omnium perspiciantur; quo sic, quantum fieri possit, solvantur quæstiones, *primum* historicæ: a quo statu exierit genus humanum, & quomodo ad hunc, in quo jam est, pervenerit? *deinde* politicæ & morales: in quem finem & qua via ulterius, quantum id ab hominibus fieri potest, promoveri debat (k)? Ne autem historiam universalem cum historia hominis, quam hodie dicunt, confundere videamus: observandum est, illam in certis factis, quæ certis locis & temporibus evenerunt, in quibus autem totius generis humani progressio sponte se ostendit, ideoque præsertim in gentium & civitatum mutationibus, historicæ h. e. intuitiva ratione exponendis esse occupatam; hanc vero non nisi generalem ex illaque abstractam continere mutatae naturæ humanæ contemplationem, exemplis tantum historicis, maxime e privata hominum, cum in naturali, tum in civili statu, vita desumptis, illustratam,

§. VI.

Hac definita historia universalis notione, mox liquet, methodum ejus ita & facillimam & aptissimam fore, si, illa respiciens facta, quibus præcipue cultura generis humani in universum considerati, nata, aucta, promota ex uno ævo ac loco in alterum translata, impedita, retardata, repulsa, restituta atque ad illud, quod jam attigit fastigium, evecta fuerit, veram & naturalem eorum sequatur catenam. Quod si rite fiat, neque sæculorum, neque gentium præcipuarum, vel jux-

k) Videas præter supra citatum SCHLÖZERI libellum, in quo inter aggregatum & *systema* historiæ universalis bene distinguitur, præclaram SCHILLERI orationem, inter opuscula ejus profaica (Kleinere profaiche Schriften) Vol. I. editam; *Was heißt u. z. w. E. studiert man Universal-Geschichte?*

juxta se positarum, vel sibi invicem succendentium negligatur ratio. Constat enim non nisi saeculis procedentibus excultum esse mortalium genus; atque universam ingenii humani formationem paucis in Asia, paucioribus in Africa, nec admodum multis in Europa gentibus, quae ceterarum duces fuerunt & educatrices, debitam esse.

§. VII.

Nondum tamen liquet, quomodo præcipua illa tollatur difficultas, quæ in construendo ex historiis specialibus systemate universalis historiæ inde oritur, quod & parallelismi synchronistici habenda est ratio, neque tamen linearis, si ita loqui licet, negligenda rerum gestarum successio⁽¹⁾. Has autem conditiones, ut illa evitetur, observandas ipsa ratio methodi, quam commendamus, annuit. Primum temporum intervalla non uno tantum certi anni & loci eventu (qui, unius licet, non tamen ceterarum gentium historiam apte semper dividat), sed universaliter quodam totius ævi charactere, e maxime memorabilibus rebus desumpto, definiantur. Deinde diversi in diversis terræ partibus agentes populi eo exhibeantur ordine, quo in præcipuam historiæ scenam, quæ ex oriente & meridie in occidentem & septentrionem sensim volvit, prodierunt. Descriptis igitur periodis non tam per annorum numerum, quam per factorum indolem, in unaquaque eæ præfertim exhibeantur gentes, quæ in illa vel imperiis ac bellis, vel commerciis & coloniis, vel institutis civilibus ac religiosis, vel artibus & scientiis in universum egerunt mortalium genus: ceteræ autem obiter tantum data occasione commemorantur. Neque ex una gente vel terræ parte in alteram for-

ius

⁽¹⁾ Quam superari posse difficultatem desperans, duplice fieri debere in historia universalis institutionem, primum syntheticam, deinde synchronisticam, censet SCHLOZER I. c. §. 23.

Ius synchronismi causa inopportunus fiat transgresus, naturali rerum nexu hunc nondum svadente: sed potius tum de-
 dum repetatur antiquior populi cujusdam historia, cum vel
 ipse primas agere partes, vel cum præcipua quadam gente
 rem habere incepit. Confusio autem chronologica, inde me-
 tuenda, facile evitetur, si non numeri tantum annorum, ad
 quos revertitur historia, annotentur, sed facti etiam & viri
 cujusdam insignioris, de quo jam narratur, cum facto vel vi-
 ro supra commemorato synchronismus significetur. Sic in Grae-
 ca v. c. & Romana historia, post Hebræam, Asyricam, Babyloniam
 & Persicam referenda, obseruetur: regiam auctoritatem Athe-
 nis eodem esse tempore sublatam, quo in Judæa instituta est,
 legislationem Spartanam esse, ruente vetusta & fabulosa As-
 syriorum Monarchia, Athenensem, agitante Africam & Æ-
 gyptum dominatione Babylonica, perfectam, Romam esse condi-
 tam ex oriente novo Asyriorum imperio, Regesque Roma
 ejectos, cum restitueretur in Persia nova regum dynastia; Codrum
 igitur cum Saulo, Lycurgum cum Sardanapalo, Solonem cum
 Nebucadnezare, Romulum cum Phul, Tarquinium Superbum
 cum Dario Hystaspis filio coævos fuisse, atque sic in ceteris. Ce-
 terum ne Synchronistica quidem methodo caveri potest, ne prius
 facta posterius narrentur. Solis tabulis synchronisticis id effi-
 citur, ut rerum in orbe gestarum successionem in parallelis
 gentium lineis spectantes, plenam & distinctam nobis acquiram-
 us chronologæ notitiam. Omnem igitur illæ merentur lau-
 dem & commendationem, ut mappæ ad Geographiam, ita ad
 historiam adhibendæ. In hac vero ipsa, neque pragmaticam
 ejus serves consilium, neque phantasie & memoriae discenti-
 um bene consulas, si in chronologico ordine ita inhæreas, ut
 ejus causa ex magnis v. c. Asiæ & Ægypti scenis, dum de
 imperio in orbem ibi agitur, in Italiam, ubi nondum nisi
 parvula oppida se invicem infestant, desilias, Romanosque
 ante Persas inter præcipuos mundi antiqui populos prodire
 jubeas: quod tamen in plurimis historiæ universalis compen-
 dijis

diis fieri solet, facta s̄epissime ex una terræ parte in alteram transitu, sine ulla, quæ in ipsis factis appareat, causa.

§. VIII.

Sed cum exemplis melius quam præceptis probetur quidquid praxin spectat: specimen addemus ex una vel altera periodo historiæ antiquæ, quo, & characterem ævi & ordinem narrationis indicaturo, sententiam nostram de methodi, quam *characteristicam* appellare liceat, in historia universali usu clariorum reddamus.

Primum igitur hæ definiendæ esse periodi historiæ antiquæ nobis videntur. Ia. Ab origine generis humani (secundum narrationem Hebræam) usque ad primam illius, post diluvium Noachianum, in orientem, occidentem & septentrionem, dispersionem. A. a. Chr. n. 4000 — 2200. II. A prima gentium dispersione usque ad connexionem earum, in oriente per magna bella & imperia, in occidente per commercia & colonias. A. a. Chr. 2200 — 1500. III. Ab ortu magnorum in oriente imperiorum usque ad summam maximi eorum potentiam primamque illius cum occidente pugnam, sive ad bellum Persarum cum Græcis. A. a. Chr. 1500 — 500. IV. ab initio (*m*) pugnæ orientis cum occidente usque ad hujus de illo triumphum sive ad mortem Alexandri magni a. Chr. 500 — 320. V. A triumpho occidentis de oriente usque ad illius, sub uno imperio constituti, cum septen-

B

trio-

m) Posit quidem quodam jure jam Trojanum bellum prima haberi Orientis cum Occidente pugna: sed præterquam quod Trojani, et si in Asiam migrati, ad occidentales populos referendi sunt, in illo nondum characteris orientalis cum occidentali, despotismi & luxus cum libertate & virtute, conflictio universalem efficit historiæ epocham.

trione contentionem (*n*), sive ad Augustum & Arminium a Chr. 520 — post Chr. g. 9. VI. A constituto imperio occidentis usque ad septentrionis de illo victoriam, sive ad interitum imperii Romani occidentalnis. Post Chr. g — 476. Ex his prima periodus nonnisi unam & simplicem continet narrationem, de cuius methodo nulla potest esse quæstio; 4:tae autem 5:tae ac 6:tae ordo & longior foret descriptu, nec valde dubius esse positi, si gentis in quaue periodo præcipue, vel Græcæ vel Romanæ ratio habeatur. 2:dæ igitur & 3:tae paucis describemus characterem & ordinem: sperantes, inde quoque colligi posse, quatenus non antiquæ tantum sed mediae etiam & recentiori historiæ hæc conveniat methodus.

§. IX.

II. igitur periodus a prima gentium dispersione usque ad connectionem earum, in oriente per magna bella & imperia, in occidente per commercia & colonias, sepe extendit, annos continens a Chr. 2200 — 1500.

Character: Dispersis in diversas terræ partes gentibus, e Noahidis exortis, primisque formatis civitatibus, principium ponitur culturæ universi generis, ad nostra usque tempora permanentes, Ægyptio-Hebreum.

Ordo. Præmittatur generalis conspectus, cum orbis terrestris post diluvium a Nomadibus habitati & in orientem, occidentem ac septentrionem antiquitus divisi, tum gentium diversis jam nominibus & linguis in oriente præsertim apparentium, primarumque civitatum in Babylonie, Assyria, Phœnicia & Ægypto per *Nimrod*, *Asur*, *Sidon* & *Mizraim*, qui-

n) Pluries quidem antea jam diversi e septentrione populi, Scythæ, Cimmerii sive Cimbri, Galli, Teutones ceterique occidentem ut & orientem invaserant, præterquam quod Mithridates Arctois viribus Romano minatus erat imperio, Cæsar vero insignem terrarum borealium partem, Galliam scilicet, occupaverat. Perpetua tamen & quæ magnam rerum commutationem efficerat, septentrionis cum occidente contentio non nisi constituto imperio hujus sub imperatoribus Romanis incepta & continua est.

(quibus nominibus non tam homines, quam gentes intelligendæ esse videntur), constitutarum: quarum tamen omnium ulterior historia hic non exponatur, cum scilicet Babyloniorum Asyriorum & Phœniciorum nomen sequentem præcipue illustret periodum (o). Specialius autem in hac describantur historiæ connexæ familiæ Abrahamiticæ, triplici olim monotheismi ramo, Judeo, Christiano & Muhammedano præcipuas terræ partes adumbraturæ, & hierarchiæ Ægyptiacæ, cum in legislationem Mosaicam hoc jam ævo efficacis, tum proximo imprimis Græcam excitaturæ culturam. Primum igitur historia Hebræa ab Abrahamo usqne ad Josephum perducatur, descriptis moribus & genio ævi patriarchalis, insertaque de Kedor Laomor ceterisque Asiae regibus ex sacris bibliis cognitis narratione; deinde Ægyptiaca, a Mene repetita, usque ad Pharaonem Memphidis ceteris in Ægypto civitatibus Josephi ævo dominantem continuetur; tum vero occupatio Ægypti & oppressio Israëlitarum per gentem Arabicam *Hysos* transitum faciat in historiam Mosis, cuius gesta cum populi sui fatis intime connexa usque ad mortem ejus enarrantur, addita relatione de Palæstina per Iohuam occupata, Hebræorumque gente in duodecim respuplicas agrarias, soedere religio lo conjunctas, divisa. Epocha hic facta, observentur progresus universi generis humani in religione, legibus, artibus moribusque, septem, quæ post dispersionem gentium jam præterlapsa sunt, saeculis, in confiniis maris rubri & mediterranei facti.

§. X.

III. periodus ab ortu magnorum in oriente imperiorum usque ad maximi eorum cum occidente pugnam. A a Chr. 1500 — 500.

o) Quæ enim de Nini & Semiramidis rebus in Asia gestis narrantur, aut omnino ficta, aut ad posterius referenda esse tempus, plurimi jam censent. Neque prima civitatum rudimenta, a venatioribus & Nomadibus in iipis Euphratis & Tigris facta, cum superbis in iisdam oris poslea eminentibus imperiis confundenda sunt.

Character. Exsurgunt in oriente magna imperia, vigetque despotismus orientalis, qui late extensis armis, multisque conquisitis spoliis & captivis stupendorum ædificiorum religiofo fastu se exornat & sacrat. In occidente autem commerciis, coloniis, epicis, si ita loqui licet, heroum sponte se confariantium expeditionibus, privatorumque legumlatorum auctoritate ac sapientia, & disitæ excoluntur terræ partes, & liberae constituantur respublieæ, quæ, foederibus conjunctæ, litterarum & artium efflorescunt laude.

Ordo. Primum antiquioris monarchiæ Asyriorum, (Iosuæ certe tempore jam ceteris Afiaæ populis eminentium) suspecta quidem, sed genio tamen & orientis & hujus imprimis ævi congrua historia a Nino, magnorum terræ occupatorum, quos historia nominat, primo, usque ad Sardanapalii mortem, continuata, hic aptius quam ullo alio loco inferatur. Deinde in Ægypto a gente Hyscos eodem tempore, quo inde exiit Israel, liberata, Pharaonum ædificantium admiranda describantur monumenta, a dubio Sesostris, Nino comparandi, regno, usque ad novarum in Ægypto inferiori civitatum originem per quinque saecula perducta narratione. Tum vero in Palæstinam revertendi, occasio erit: ubi primum ab Heroibus & Pontificibus gubernata, deinde in monarchiam mutata Judæorum respublica, per Davidem in magnam evicitur potentiam: qui, superato Hadarefare, late dominante Mesopotamiæ rege, ceterisque in se conjuratis hostibus, Syris & Ammonitis, timendam exstruit monarchiam, quam Salomon, ceteros æmulans orientis despotos, ædificiis aliisque luxus apparatibus condecorare studet. Quorum utriusque cum Tyriis foedus aptam præbet in Phoeniciam transeundi causam: ubi Tyri imprimis commercia, tam terra quam mari acta, coloniæque, in Africa præsertim & Hispania institutæ, describantur, inserta de natalibus reipublicæ Carthaginensis commemoratione. Cum vero sequentes & Phoeniciæ & Palæ-

stine & Asyriæ, ubi jam alterum repente exsurrexit imperium, & Mediæ, & Babylonie, quæ a nova gente Chaldaeorum occupata nunc demum in historia universalis principales agit partes, historiæ omnes ita connexæ sint, ut seorsim exhiberi commode haud possint; una jam in alteram aptis intexenda est locis, (cujus autem rei hic proponere rationem nimis foret longum), donec, Persarum gente, torrentis instar, illas omnes occupante terras, historia quoque Persica ceteras omnes historias in se corripiet: usque ad tempora Darii Hyrcaspis filii commode continuanda. Hujus autem regnum epocham historiæ universalis apte constituit: cum & maximum orientis imperium, ex anarchia restitutum novisque reformatum legibus, ultimisque in India & Europa factis occupationibus auctum, in summum evexerit fastigium; & Grecis ilato bello maximam in rebus generis humani effecerit commutationem, qua præcipua historiæ universalis scena in Europam translata est, novisque illi induitus character, quem occidentalem appellemus. Ante vero, quam ad quartam transeat periodum, antiquorem Græcorum exponendi historiam hic jam erit locus. Paucis igitur ex mythica illorum ætate, quæ ob chronologicas rationes ad secundam periodum pertinenter, hic deinceps aptius repetitis; totiusque ævi mythicoheroici imagine in una, et si variegata, tabula depicta: diversæ deinde describantur diversarum civitatum Græcarum historiæ, usque ad initia belli Persici persequendæ: quo & universæ Græciæ, Astaticæ non minus, quam Europeæ, & Spartaneæ imprimis Atheniensisque reipublicæ conditio, ante cognita sit, quam magni pro libertate & patria certaminis admirandum exhibeat spectaculum. Neque inutile ineptumve erit generali conspectu profectum, quos mille circiter a Palæstina per Josuam occupatione volutis annis cum in Asia & Africa tum in Europa humanum fecit ingenium, hanc finiisse periodum: ut eo clarius intelligatur, quanta vi & successu in sequenti ad summam prope evolaverit perfectionem.

Quæ

Quæ ex rebus gestis Romanorum, Carthaginensium ceterarumque gentium Europærum synchronismi causa huc referri solent, aptius in illud differantur tempus, quo istæ gentes, e privatis, et ita dicam, domibus in publicum prodientes campum, specialem suam historiam in universalem mutant. Canaanitarum autem, Syriorum, Æthiopum, Scytharum, Cimmeriorum, Trojanorum, Lydiorum ceterorumque Aficæ & Africæ populorum, qui in hac jam periodo suas peregerunt partes, commemoratio in historia Hebræa, Ægyptiaca, Asyrica, Medica, Persica & Græca commode fieri potest.

§. XI.

Ita igitur, & cujusque gentis res, quantum fieri possit, in continua serie enarrando, & unam tamen historiam cum altera connectendo, videtur, dramatis instar, in quo, & scenis & personis semper variantibus, neque confundantur tameu, neque omnino separentur diversæ, quæ aguntur fabulæ, historia universalis, antiquior certe, componi posse. Ceterum diversam pro diverso consilio, quo illa conscribitur, adhiberi debere methodum, minime negamus. Sic in prima puerorum institutione aptissimum erit, historiam antiquam in tres tantum dividere partes, Orientalem, Græcam & Romanam. Hæc vero divisio cum supra allata facillime conciliari potest: orientalem enim continent tres primæ, quas definivimus periodi, Græcam quartam, & Romanam quintam ac sextam. Sed sufficiat annuisce tantum, quod plenius exponere prohibemur.

